

In hoc Libro continentur

	fol.
1. Duæ orationes. Dn. Sigism. Finckelthusy.	1.
2. Schmücky Synopsis in Jus Canonicum.	5.
3. Gothofredi Reuteri disput. ad. L. diffamari.	13.
4. Disputat. Johannis Strucky de rescind. vendit.	41.
5. Disp. Schmücky De Servitut. Urb. et Rust. Præd.	63.
6. Disp. D. Johann. Böhmj. De Dominio.	77.
7. Joh. Böhmj. De Litis denunciacione.	87.
8. Joh. Böhmj. De Præmaris retinenda possessionis Interdictis.	106.
9. Böhmj. De Commodato.	112.
10. Disp. Tob. Schwendendorff. De Jurisdictione	139.
11. Disp. Sigismundi Finckelthusy De Jure Sepulchrorum ^{mandata}	147.
12. Decas questionum Juridicarum.	175.
13. Johann Kannengieser de Mutuo.	219.
14. David Imneri disputatio de Naturalibus, Substanti- stantialibus et Accidentalibus Contractuum.	229.
15. Disp. Henningi Grossij. de Defensione necessaria.	307.
16. Disp. D. Conradi Carpzovij de Probationibus.	333.
17. Jus. Disp. de Esione Jurium.	365.
18. P. Michaelis Ledererij disp. de Felonia.	373.
19. Disp. Kiemerij de Mora Etimj.	381.
20. Disp. Joh. Sverij de Jure Alren.	389.
21. Henningj. Grossij. disput. de Jurisdictione.	411.
22. De Jure Pign. et Hypothecar.	423.


17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500.



| | | |
|-----|---|------|
| 24. | De Exceptionibus. | 455. |
| 25. | De Homicidio. | 463. |
| 26. | De Sententia Definitiva. | 481. |
| 27. | De Captivitate seu Occupatione bellica. | 497. |
| 28. | De Militari Testamento. | 529. |
| 29. | De Tertio Interveniente. | 541. |
| 30. | De Mandato. | 555. |

5.
3.
1.
9.
5.





SOLO FAVENTE DEO. 13 219.

DECAS

Quæstionum Juridicarum Controversarum,

Quam
Autoritate atq; permissu amplissimæ Facultatis
Juridicæ Lipsiensis,

SUB PRÆSIDIO

SIGISMUNDI Finckelthaus/

J. U. D. & Professoris
publici,

Respondendo defendet

MICHAEL Gorge /
Lipsiensis.

Ad diem 18. Martij, horis locoq; solitis.

Lipsiæ,

Excudebat Fridericus Lanckisch,

ANNO

M. DC. XXIX.



Quaestio Prima.

Ad L. nomina. 2. C. arbitrium tutelæ.

AN Tutor non exigens nomina paterna, tempore susceptæ tutelæ idonea, de levi culpâ teneatur? Plerique Interpretes negant, Sed affirmativa & evidentibus textibus, & melioribus fulciri potest rationibus.

(1.) Per *L. chirographis. 57. ff. de administr. tutor.* quæ loquitur de tutoribus nomina paterna exigere cessantibus: *Ibi: cum ex Inventario Tutores convenire eos possent.* Et dicit Scævola, quod tutores dolum vel culpam præstare debeant, *ibi: per dolum vel culpam.* Sic separatur à dolo culpa. Non autem potest lata intelligi: Quia ea, tanquam dissoluta negligentia parùm distat à dolo, aut saltem interpretatione dolo est proxima, eumq; repræsentat. *l. quod Nerva. 32. ff. depositi. l. non similiter. 4. ff. de magistrat. conveniend. l. si fidejussor. 29. pr. ff. manda. l. 1. §. non aliàs. 2. ff. si is, qui testamento liber esse jussus.* E. intelligenda est culpa levis, quæ & aliàs ita sine adjectione vocabuli latæ vel levissimæ accipitur, *l. si servus. 108. §. cum quid. 12. ff. de lega. 1. l. in venditionem. 8. §. de tempore. 3. l. prætor. 9. seq. §. est prætereà. 3. ff. de rebus auctor. judic. possid. l. contractus. 23. de R. I.*

(2.) Per *l. tutores. 39. §. negligentia. 14. ff. de administr. tutor.* ubi periculum nominum tutorum negligentia ascribitur. Negligentia autem verbum absolutè ac simpliciter positum, de levi culpâ intelligitur. *l. 1. §. non aliàs. 2. ibi: culpa autem negligentiaq; ff. si is, qui testam. liber esse jussus. l. qui plures. 41. ibi: qui neglexerunt, ex culpa. ff. de administr. tutor. l. cum in plures. 60. §. servum. 7. ff. locati. l. divus. 14. in fi. ibi culpæ eorum adscribendum est, qui negligentiores in officio. ff. de offic. præsid.*

(3.) Per *l. debitoribus. 18. C. de administr. tutor.* ubi ad tutorem

A 2

perti-

pertinet periculum nominum. Quoties autem periculū nominum imminet, tūm quis de negligentia seu culpa levi tenetur *l. periculum. 35. ff. de rebus credit. l. non ob eam rem. 25. ff. pro socio. l. tutor. 35. ff. de administ. tutor. l. pupillorum. 21. C. de admin. tutor.*

Estque (4.) ratio, quia standum est regulæ, donec probetur exceptio. At regulariter tutor de levi culpa tenetur ob negligentiam. *l. tutores. 39. §. heres. 3. l. qui plures. 41. ibi: ex culpa. ff. de administ. tutor. l. si tutoris. 23. C. eodem. l. quicquid. 7. C. arbitr. tutelæ. l. cōtractus. 23. de R. I.* Ergo & si negligit nominum paternorum exactorem, quæ sapius in jure tam seriò inculcatur, *l. si tutor. 15. l. tutores. 39. §. negligentia. 14. ff. de administ. tutor. l. debitoribus. 18. C. eod.* cum similibus, nam & tūm culpam in omittendo contrahit. (5.) quia nulla est ratio, cur minor diligentia in nominibus exigendis præstanda sit, ut scilicet de levi culpa non teneatur, quàm in aliis rebus, ubi tenetur.

Diff. Hartman. Pistor. *lib. 1. quest. 49.* Anton. Delrio *ad l. cōtractus. de Reg. I. cap. 13. pag. 219.* Montanus de jure tutel. *cap. 39. n. 56.* Haccelman. *disput. illust. quest. disput. 15. §. 23. lit. g. ubi & alios citat.*

Quæstio 2.

Ad L. nam salutem. 3. §. 1. ff. de offic. præfecti vigilum.

Tristis & nodosa est quæstio, ut ait Geil. 2. *obs. 21. in princ.* & de qua nondum inter nostros convenit: Cuinam Incendii probatio incumbat? An reo Mævio, in cujus domo incendium exortum est, ut scilicet suam suorumque domesticorum culpam abfuisse, an actori Titio vicino, damnum ex incendio passo, ut culpam patrisfamil. vel alterius probet? Statuimus, ut actor certæ & determinatæ personæ culpam id excitatum fuisse probet.

Non tutæ sunt omnes rationes, quas vulgò Dd. afferunt. Quare pauciores, sed urgentiores adducemus. Et. (1.) *ex L. si vendita. II. ff. de peric. & commo. rei vend.* colligitur, incendium non semper culpa patrisfamilias accidere, sed eam culpam in personis eorum habere, qui deliquerint: adeoque si servus vel alius incendio sua imprudentia

dentia causam præbuerit, id ipsum, quod in homine illo negligente, culpa dicitur, in patrefam. inscio infortunium appellari debeat.

(2.) Quia in jure regulariter homo liber pro homine libero inscius & ignarus non tenetur, neque enim pater pro filio, nec filius pro patre, nec vir pro uxore, nec uxor pro viro, quamvis sint cōjunctissimæ personæ, obligatur *t. t. C. ne filius pro patre. t. t. C. ne uxor pro marito, & c.* E. neq; hominis mercenarii & alieni delictū temerè in dominū rejici & transferri debet, qui mobilib. incensis, supellectile amisâ, in periculo vitæ constitutus, intuentium misericordiâ potiùs, quàm judicis severitatem & condemnationē meretur. Nisi fortè dominus noxios & malæ conditionis servos in servitio suo habeat, tùm enim si unus ex familia damnum dedisse incendio convincitur, dominus tenetur, & sibi hoc casu imputet, cur tales conduxerit, *l. si servus. 27. § si fornicarius. 9. & §. Proculus. 11. ff. ad L. Aquil.* Jure tamen Saxonico dominus non tenetur ultra mercedem famulis debitam, *lib. 2. § andr. artic. 32.* Quod si minister non habet in ære, luat in corpore, *l. 1. § generaliter. 3. ff. de pœnis. l. final. ff. de in jus vocan. ac fustibus castigetur, l. qui ades. 9. ff. de incend. ruina. l. 3. §. 1. ibi: aut fustibus. ff. de offic. præfect. vigil.*

(3.) quia non probatâ culpâ certi hominis remanet incertitudo, & per consequens sententia condemnatoria sequi non potest, quia ea certa esse debet, *§. curare. 32. 7. de action.* Quis enim ex suspicionibus & conjecturis aliquem condemnaret? quarum vix ulla se hîc offert, cùm nemo præsumatur ita negligens & dissolutus esse, ut socordiâ atque incuriâ suâ non tantùm bonis fortunisque suis, sed & conjugii, liberis, aliis inhabitantibus ac vicinis damnum & calamitatem, sibi denique ipsi vitæ quandoque discrimen & periculum accersat, *arg. l. cùm de indebito. 25. ibi: nunquam ita resupinus est, ut facilè suas pecunias jactet, ff. de probation.*

(4.) quia regulariter actori, qui dicit, necessitas probandi incumbit, *l. 2. l. verius. 21. ff. de probation. l. actor. 23. C. eod.* Sed actor dicit, culpa rei, incendium factum esse. E. culpam hanc, cùm sit facti, nec in patrefamiliâs, qui industrius & vigilans esse creditur. *arg. l. merito. 51. ff. pro socio, præsumatur, probare debet, l. quoties. 18. §. 1. ff. de probat. aliàs reus absolvendus, l. qui accusare. 4. C. de edendo.*

(5.) quia ubi res nō est clara & expedita, favorabiliores sunt rei, quàm actores, *l. favorabiliores. 125. de Reg. I.* non enim tùm jus, sed probatio



batio deficit, ideò reus, in cuius domo incendium exortum est, absolvendus, arg. *l. duo sunt Titij. 30. ff. de testam. tutel.* Satisque est, cum nocentem impunitum dimittere, quam innocentem condemnare, *l. absentem. 5. in pr. ff. de pœnis.* Idem enim minimum habet iniquitatis, *l. quotiens nihil. 200. de Reg. Jur.* Et cum (6) proverbialia licitè allegentur, *l. si chorus. 79. §. 1. ibi: & audisse se rusticos fenestras. ff. de lega. 3. cap. Etsi Judæos. 13. ibi: juxta vulgare proverbium: extra de Judæis.* Ideò & huc referri potest illud Germanorum proverbium: **Ein Nachbarer ist dem andern einen Brand schuldig/** si scilicet vicinum meum de culpa convincere non possum. Atque hæc opinio uti juri magis cõsentanea, ita & receptior est teste Rauchbaro *p. 2. quest. 10. n. 50.* secundum quam & veteres Scabinos Lipsienses & Dicasterium VVittebergense pronunciasse refert. *n. 68.*

Dissent. gravissimè Lublerus *tract. de Incend. cap. 5. à n. 18.* Fachin. *lib. 1. Controv. 87.* Moller. *lib. 4. Semestr. cap. 31.* & alii, qui à Lublero d. l. recensentur.

Questio 3.

Ad L. fratres. 27. C. de inoffic. testamento.

Trita quidem, sed nondum satis expedita & aliter atque aliter explicata est **Controversia:** An Spurius laboret infamia facti? Neg. (a) Nihilominus testamentum, in quo spurius institutus est, rectè dici potest inofficiosum. (b) Est enim levis notæ maculâ notatus. (c.)

a.) Ratio est, quia ea vera est infamia facti, quando quis re ipsa & opinione hominum habetur infamis, *l. 2. ibi: re tamen ipsa & opinione hominum. ff. de obseq. parent. & patr. præstand. l. ea quæ. 13. ibi: apud bonos & graves. Et ibi: qui patri displicuit. C. ex quibus causis infam. Verum nasci ex fornicatione, non filii, sed patris delictum est, l. spurij. 6. ibi: qui nihil admisit. ff. de decur. can. nasci. 5. distinct. 56. Nov. 74. cap. 6. in fi.* Ergò nec infamiâ facti spurius notatos esse, verè dici potest. Dissent. Toming. *decis. 48. n. 6. & 7.* Hartm. *Pistor. lib. 1. q. 30.* Fachin. *4. Controv. 93.*

b) Non

b.) Non immeritò mirari quis possit, cur nonnulli Dd. in hac quæstione sollicitè inquirent, an Spurius laboret infamiâ facti, cum tamen id ad hujus quæstionis decisionem ferè nihil aut parùm certè facere videatur. Verùm error ipforum in eo est, quod putent, querelam inofficiosi testamenti tum demum movendam esse, cum persona infamis est instituta, atq; sic accipiunt *l. fratres. 27. C. de inoffic. testam.* Sed ista interpretatio est contra verba & sensum *d. l. 27.* Nos igitur sic intelligimus *d. l. 27.* Fratres consanguinei, vel etiam utrinque conjuncti, habent contra testamentum fratris querelam, quando scilicet instituta est persona infamis vel turpis vel levis notæ macula notata. Tribus igitur modis querelæ locus est, (1.) si scriptus heres sit infamiæ maculâ aspersus *d. l. 27. ib: infamia.* Infamia ibi denotat infamiam juris, cum scilicet ipso jure quis sit infamis. *t. t. ff. de his, qui notant. infam. l. cognitionum. 5. §. minuitur. 2. ib: quæ edicto perpetuo. ff. de extraord. cognit. l. ob hæc verba. 20. ibi: ignominia videtur irrogari. ff. de his, qui notant. infam. l. 2. ib: licet enim verbis edicti non habeantur infames. ff. de obseq. parent. & patron. præstand. l. ea quæ. 13. ibi: infames quidem filios jure non faciunt. C. ex quibus caus. infam.* (2.) si sit turpitudinis maculâ aspersus, *d. l. 27. ibi: turpitudinis.* Turpitude ibi innuit infamiam facti, cum videlicet quis re ipsa seu proprio facto & opinione hominum sine infamia jure irrogata infamis fit, *l. honori. 2. ff. de obseq. parent. & patron. præstand. ibi: licet n. verbis edicti non habeantur infames ita condemnati,* hoc est, infamia juris: *re tamen ipsâ & opinione hominum,* hoc est, infamia facti, *non effugiunt infamiam notam. l. ob hæc verba. 20. ib: pudor potius, i. e. infamia facti, ff. de his, qui notant. infam. l. ea quæ. 13. ib: apud bonos & graves opinionem ejus onerant. Et ibi: increpant. C. ex quibus caus. infam. irrogetur.* Horum infamium catalogum refert Speckhan *Centur. 1. quæst. 71.*

(3.) Levis notæ macula in *d. l. 27.* significat, quando opinione tantùm hominum quidam infames reputantur, vel saltem, quorum existimatio & verecundia apud bonos & graves viros, absque tamen proprio turpi facto aliquo, onerari dicitur, *l. verbum. 17. C. ex quibus caus. infam. irrog.* Atque hæc macula alibi nota nominis, nævus honoris, sutorium atramentum, sed & macula & inhonestamentum ab Apulejo appellatur. Heig. *p. 1. q. 21.*

c.) (1.) Per

c.) (1.) Per text. in *l. generaliter. 3. §. spurios. 2. ff. de decurion.* ubi legitimè quæsitus competitor præfertur spurio in decurionatu. Cujus rei ratio absque dubio est, quia aliquâ scil. levis notæ macula saltem sit notatus. Si enim omni ex parte fama spuriorum esset integra, qualis fuisset dubitatio, num admissio decurionum ordini sit sordi? cur hujus rei fundamentum poneretur in istius ordinis utilitate?

Estque (2.) ratio, quia omni gentium & Rerum-publ. jure procreationes ex legitima tantum conjunctione probantur, & vicissim ex improbato coitu nemini videri possunt honestæ, sed semper vitiosæ, & aliquâ labe aspersæ, leges enim procreandorum liberorum causâ matrimonium instituerunt, ne alienæ & sordidæ stirpes ingenuis & splendidis natalibus in Republica subrogentur, & ut ordinum familiarumque dignitas conservetur, *l. super statu. 9. C. de quæst. l. 1. §. sed & si servus. 13. ff. de vent. insp. l. ambiguitates. 2. ibi: augeri magis Rempub. & multis hominibus legitimè progeneritis frequentari, quàm & c. C. de indicta viduita.*

(3.) Quia satis abundè testatur experientia, omnium rerum, efficacis magistra, *cap. quàm sit Ecclesis. 6. de Elect. in 6. Novell. 23. in princ.* apud graves honestos & cordatos viros, malè audire spurios, non quidem ex facto aliquo sic nascentium seu poena, sed ex vitio ac defectu natalium, ipsaque nativitate & inclementia ipsius naturæ, quâ deterioris conditionis editi sunt: ratione hac justa, ne promiscuè vagarum libidinum homines sectatores existant. (4.) quia nemo est, qui tali appellatione, ut turpi ac contumeliosa non offendatur. Hinc receptum est, eo nomine actionem injuriarum competere. *Duare. lib. 4. de sacr. Eccles. minis. cap. 5.* Quocirca & ipse Palæottus, spuriorum alioqui patronus, *cap. 64.* scribit, hæc opinio omnium ferè gentium animos creditur pervasisse, ut quilibet se spurium appellari indignè ferat, quasi tacitè etiam natura hanc notam submonuerit. His accedunt, quod (1.) Jure divino summus Legislatores Jehovah de spuriis sic disponat: Non ingredietur de scorto natus in Ecclesiam Domini usque ad decimam generationem, *Deuteron. cap. 23. v. 2.* Et (2.) Jure Canonico à Sacerdotiis arcentur, neque ad sacros ordines promoventur, *cap. 1. extr. de filiis Presbyter. cap. consuluit. 5. ex. de servis non ordinan. cap. per venerabilem. 13. extr. qui filij sint legit.* In recessibus Imperii (3.) à judicio-

rum

actione nimirum negotiorum gestorum instituta. Eamque opinionem sequimur (b.)

a) Dd. ad *d. l. nam & Servius. 21. ff. de negot. gest.* ubi Bartol. n. 2. Baldus, Costalius & alii. Monach. in pract. judicia. p. 22. c. 4. n. 3. VVesfenbec. *ad authent. sed omnino. C. ne uxor pro marito, n. 46.*

b) Ratio est, quia Mævius repressalias passus gessit negotium, quod Titus principalis debitor gerere debebat, Unde quia utiliter gestum est à Mævio, debet à Titio haberi pro rato, sufficit enim negotium gestum esse. *l. Pomponius. 9. ff. de negot. gest.* Unde etiamsi non consentiat Titius, invitus nihilominus & ignorans liberatus est, *l. solvendo. 39. ff. de nego. gest.* Et quamvis Mævius ad negotium Titii debitoris gerendum spontè non accesserit, necessitate tamen coactus fecit. Ideoque negotiorum gestorum actioni locus est. *h. l. nam & Servius. 21. ff. de negot. gest.* Geruntur enim & expediuntur negotia aliena partim voluntariè, *l. ait prator. 3. §. hac actione. 10. ff. de negot. gest.* partim necessitate cogente, vel necessitatis suspicione urgente, *d. l. 3. §. 10. ibi: verum & is, qui aliquà necessitate urgente, l. ob negotium. 18. ibi: quorum te necessitate compulsus, l. sive pro fratre. 3. ibi: solvere coactus es. C. de negot. gest.*

Dissent. variè Interpp. Quidam conditionem ex lege locum habere arbitrantur. Minda. *de process. extrahen. lib. 9. cap. 50. à n. 3.* Alii vel actionem ex L. Aquilia competere existimant, vel officium judicis implorandum esse censent. Mindan. *d. l. n. 13.* Hunnius verò planè sibi persuasum habere ait, quod nulla penitus actio, nullus regressus ei, qui damnum ex repressaliis passus est, contra verum debitorem competat; In disputat: quadam de Re-pressaliis Gießæ Anno 1618. mense Januario habitâ.

Quæstio 5.

Ad L. nemo de domo sua extrahi debet. 103.

de R. I.

Communis quoque Dd. est sententia: Quod Professor, Advocatus, vel alius Doctor quispiam, artifices, quales

quales sunt, omnis generis fabri, victores, & alii, strepitū quodam artem suam exercentes, eoque studia impediētes, si sese vicinis ædibus ingerant, Judicis officio expellere possit. Quam probamus.

Commendatur quidem Demosthenes, ut refert Valerius Maximus *lib. 8. cap. 7.* quod vadosis litoribus insistens, declamationes, fluctuum fragoribus obluētantibus, ediderit, ut ita ad fremitum concitatarum concionum, patientiā duratis auribus uteretur. Vicissim reprehenduntur Sybaritæ, quod ceu homines effœminati ac nimis molles, nullum opificem, puta fabrum ferrarium, lignarium, & alium, qui cum strepitu opificium suum exerceret, adeoque quietem eorum turbaret, in civitatem admiserint: Unde ne gallum quidem gallinaceum in civitate fas erat alere, ne quid esset, quod illis somnum interrumpere. *Erasm. in apophth. libr. 6. num. 68. pag. 522.* Ideò etiam Interpp. quidam, Professores & Doctores illos, strepitum hunc sibi impedimento esse conquerentes, tanquam delicatulos minimè audiendos asserunt. Verùm relata communis sententia non caret rationibus.

Ratio enim pro ea est (1.) magnus studiorum favor, *arg. l. quæ pater. 50. ff. famil. erciscun. l. nec non. 28. ibi: puta, studiorum causa. ff. ex quib. caus. major. authent. habita. C. ne filius pro patre. l. unica. in fi. C. de studiis liberalib. urbis Romæ.* à publicâ utilitate dependens, quæ omnibus privatis commodis anteferenda, *l. quod Reipub. 33. ff. de Injur.* Et propter quam stricta ratio insuper habenda est, *l. sunt personæ. 43. ver: nam propter publicam. ff. de religiof. & sumt. funer. l. ita vulneratus. 51. ver: sic: multa autem jure civili. ff. ad L. Aquil.*

(2.) quia si ædificia illa, quæ publicis ædificiis cohærent, dirui ac prosterni possunt, ratione publicæ utilitatis, *l. ædificia. 14. C. de operib. public.* Multò magis artifices supra nominati à Professoribus & Doctoribus expellentur, quia in studiis major est utilitas publica, quàm in ædificiis istis.

Ampliamus hanc decisionem (1.) etiam procedere, si Professores vel Doctores cum artificibus in conducendis ædibus eodem tempore concurrant. Ratio est, quia major præfertur minori, *arg. l. per minorem. 54. in fi. ff. de judic.* Et melius præfer-

tur bono. *arg. l. exigendi. 12. versic. sanè quod. C. de procurat.* At
dubium non est, majus & melius esse bonum studiorum, quàm arti-
ficum prædictorum. Ampliamus (2.) si expulsio hæc è do-
mo privata per prædicta locum habet, multò magis obtinebit, si
vietor vel faber ferrarius, aut talis, domum juxta auditorium quod-
dam, ubi Professores publicè docent, conducere velit. Am-
pliamus (3.) exercitii gratiâ, & ex mente Bartoli Johan. de Platea
aliorumque: Ut & studiosus in Collegio fortè habitans, fabrum
vel alium in studio se perturbantem expellere valeat. Ratio est,
quia nulla videtur differentia hoc casu inter Professores, Advoca-
tos, & Studiosos, sed par omnium conditio: una nempe est causa
studiorum. Et ut in illis præsens; ita in his futurum tempus spe-
ctatur, *argum. cap. cum ex eo. 34. de Elect. & electi potesta. in 6. ver-
sic. nos super hoc.* Ampliamus (4.) ut Professor sive Doctor
etiam fullones & pelliones expellere possit. Ratio est, quia vel ex
solo odore locus pestilentiosus fieri potest, ut loquitur *Ulpian. in
l. 2. §. idem ait. 29. ff. ne quid in loco publico.* Videatur Benius de
privileg. Jureconf. *cap. 69. n. 12.* Limitanda tamen etiam
est hæc communis Dd. sententia. (1.) Nisi consuetudo & aptitu-
do loci obstet: si enim Doctor vel Professor in via fabrorum con-
duceret domum, tùm artificem postea conducentem expellere
non posset. Ratio est, quia in ea via fabri artem suam exercere
consueverunt, & sic negligentia vel culpa suæ ascribat, quod in
tali via ædes conduxerit. (2.) Nisi artifices tales alibi commo-
dè habitare non valentes, prævenierint conducendo vel emendo
Professorem sive Advocatum, qui alibi æquè commodè habitare,
studiisque suis incumbere posset. Ratio est, quia favor studio-
rum accipiendus est sine aliorum jactura & injuria, *arg. l. nec avus.
4. C. de emancipat. liberor.* At hoc casu esset fabro injuriam qua-
si quandam inferre, cùm Doctor, qui alibi commodè habitare po-
test, jam fuerit à fabro præventus, *arg. l. si quis posteaquam. 7. ibi:
quasi præventus. ff. de judic.* Hoc enim in quacunque materia
receptum videtur, ut præoccupantis potiùs sit jus meliorque con-
ditio, uti loquitur Decianus *tract. Crimin. lib. 4. cap. 20. n. 3.* Et
rectè per *L. pluribus. 32. ff. de procurator. cap. non injustè 14. extr. de
procurator. cap. si quis justo. 46. de Electione & Electi potestate. in 6.
si quis*

*si quis à multis. 14. ff. de noxalib. action. l. inter eos. 19. in pr. ff. de re
judicata.* Accedit trita illa regula, quam æquitas suggerit: Quod
tibi non nocet, & alteri prodest, facile concedendum est, *l. 2. §. item
Varus. 5. in fi. ff. de aqua & aqua pluviae arcenda.* Concludi-
mus cum Menochio de arbitrar. judic. quæstion. *lib. 2. Centur. 3.
casu 237.* ubi sæpius, puta *n. 3. 8. 21. 22. 26.* & rectè monet, Judicis
arbitrium, prudentiam, ac judicium multum in circumstantiis hu-
jus controversiæ versari.

Et secundum hanc quoque sententiam pronunciatum esse,
gravissimus testis est Colerus tract. de process. executiv. *p. 1. cap. 4.
n. 8.* Et in facult. Jurid. ita nuper responsum fuit ad Senat. Erfor-
diensem in causa D. A. Z. Cont. H. A. 17. Decemb. 1628.

Quæstio 6.

Ad L. scimus. 36. §. illud prætereà. 2. ibi: ne defrau-
detur debito naturali. C. de inoffic.
testam.

Quæstio nobilissima est, & semper nobis difficilis vi-
sa: An Legitima statuto aliquo vel consuetudine tolli pos-
sit in totum? Nega:

Refert Daniel Mollerus *ad Constit. Elect. 12. n. 4. p. 3.* olim
statutum fuisse Fribergensium, quo liberis Legitima materna in-
totum fuerit adempta: Quod postea Seren. Elector Saxon. Au-
gustus sustulerit anno 1576. Idem Moller. *1. Semestr. 29.* Et rectè,
ut enim communis, sic etiam vera nobis videtur opinio, quod tolli
in totum non possit. Ratio (1.) est, quia nulla Juris civilis species
sive lex ipsa, sive statutum, sive consuetudo potest ordinem & ra-
tionem Juris naturalis prorsus evertere, *l. jus civile. 6. ff. de justit. &
jure. l. jura sanguinis. 8. de R. I.* Atquin hic est ordo naturalis, ut
liberi parentibus saltem in legitima succedant, *arg. l. cum ratio na-
turalis. 7. ff. de bonis damnator. l. scripto. 7. §. 1. in fin. ibi: liberos natu-
re simul. ff. si tabula testam. nulla.* Hoc etiam est jus naturale, ut, si
nihil amplius, saltem legitima liberis relinquenda sit. Quamvis n.
quidam Interpp. negent, quod in toto jure civili legitima, tanquam
ex jure naturali debita, mentio fiat, Est tamen in primis textus in

B 3

L. sci.

l. scimus. 36. §. Illud prætereà. 2. C. de inoffic. testam. apertè id dicens: ibi: ne per hujusmodi tramitem interim filio defraudetur debito naturali, hoc est, legitima. Quod diligentissimè observandum monet Gothofred. in d. §. 2. verbis: debito naturali. Conveniunt tamen cum d. §. 2. & alii textus in l. unica. ibi: debitum naturale. C. de imponen. lucrativ. descriptio. l. cum in adoptivis. 10. ibi: ab eo naturalia debita percipere. C. de adoption. Novell. 1. in præfat. §. ult. ibi: tanquam hoc. Novell. 18. cap. 1. in fin. ibi: natura primò curata competenter. Cap. Rainut. 16. ibi: jure natura debita, extr. de testam. (3.) Quia Legitima æquiparari non immeritò potest alimentis, quoad eundem finem, ut nempe ex legitima perinde ut ex alimentis filius se alere & sustentare possit, arg. Novell. 18. cap. 3. vers. non licebit, ibi: non repente fame morientium. Sed alimentorum petitio nullo jure tolli potest, cum jure naturali debeantur liberis, l. cum non solum. 8. §. ipsum autem filium. 5. ibi: alere patri necesse est non propter hereditates, sed propter ipsam naturam & leges. Et versic: Cum enim sicut dictum est, ibi: parentes alere eos secundum leges & naturam compellantur. C. de bonis quæ liberis, pr. 7. de Jure natur. gentium & civ. ibi: hinc liberorum educatio, l. unic. §. taceat. 5. ibi: cum ipse naturalis stimulus parentes ad liberorum suorum educationem hortetur. C. de rei uxor. actio. Et scitè ait Aristotel. lib. polit. 1. Naturæ munus est, alimentum iis, quæ procreavit, præbere. (4.) Quia eadem est ratio dispositionis testatoris, quæ statuti, legis, consuetudinis, arg. l. servus. 9. ff. de manumiss. Equiparatur enim sanctio testatoris legi, argum. Novell. 22. cap. 2. vers. disponat, ibi: Et sit lex ejus voluntas. Verùm ipse Testator parens filio legitimam ex nuda meraque voluntate absque justa & legitima causa auferre nequit, l. omnimodò. 30. C. de inoffic. testam. Nov. 115. cap. 3. E. neque statutum vel consuetudo legitimam filio per solam dispositionem aliquam generalem tollere potest. Hinc etiã (5) nulla unquam lex lata est, quæ liberis hereditatem paternam prorsus tolleret, ut scribit Chiflet. de legit. cap. 16. nec ulla gens tam barbara, nisi penitus degeneret ab hominis natura, ut loquitur Battandier de Legit. cap. 1. n. 9.

Atque hanc tanquam æquissimam sententiam approbavit etiam Sereniss. Elector Saxon. Constit. 12. part. 3. ibi: **Da aber die Legitima durch ein statut specificè ganz vnd gar vffgehoben were / das soll von Unkräften seyn / vnd den Eltern / vngeachtet solches Statuts / die gebüh:**

gebührende legitima gegeben vnd zuerkandt werden. Et Constitut. 9. d. par. 3. ibi: Wann den Kindern oder Eltern in Testamenten die gebührende legitima, &c.

Questio 7.

Ad L. ait prætor. 7. §. sed quod Papinianus. 10. ff. de minoribus.

Celeberrima & agitativissima est controversia hæc: Filius minor heres instituitur, & si heres non sit, substituitur Mævius. Adit Titius minor hereditatem, deinde in integrum restituitur, tanquam minor, & restitutus repudiat. Quæritur: An aditione hereditatis per in integrum restitutionem recisâ, tùm vulgariter substitutus, an verò succedentes ab intestato admittendi sint? Quæstio in eo est, an **Conditio**, quæ per aditionem extincta erat, reconvalescat? Negandum putamus.

(1.) Per *L. ait prætor. 7. §. sed quod Papinianus. 10. ff. de minor.* ubi tùm demum substitutus admittitur, ex Ulpiani sententia, si hereditas non est solvendo, & substitutus sit heres necessarius. E. his duabus qualitatibus & circumstantiis cessantibus, vera erit Papiniani doctrina, substitutum non posse heredem existere. Exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis. Est que (2.) ratio, quia regula est: Post aditam hereditatem ab instituto herede, vulgaris substitutio expirat, deficit enim conditio, si heres non erit, *l. post aditam. 5. C. de impuber. & aliis substitut.* Quia igitur & in nostro casu, quando minor adit, vera est hereditatis aditio. Ideò non potest dici, venisse casum vulgaris substitutionis, quæ sub hac conditione fit, si primo gradu scriptus heres non erit, *l. 1. ff. de vulga. & pupilla. substitut. princ. 7. de vulga. substit.* (3.) Quia is, qui semel heres fuit, semper heres permanet, *d. l. ait prætor. 7. §. 10. ff. de minor. l. ei qui solvendo. 88. in fin. ff. de hered. instituend.* Prætor enim sicut heredis nomen dare non potest, *princ. I. de bon. possess. vers. quos a. solus.* Ita nec adimere. (4.) Quia licet hereditas postea adita esse desierit, non quidem jure civili, sed beneficio restitutionis: Illud tamen est saltem prætorium remedium, extraordinarium, quod veritatem rei tollere nã potest: Et minori per eam tantùm propter ætatem succurritur, non a. extra personam minoris in alterius personam porrigi debet.

Dis-

Dissent: Hunnius ad Treutl. volum. posterior: d. sput. de substitut: ii. §. 7. quest. 42. Donell. 6. Comment. 24. ubi Hilliger. lit. M. Anton. Faber lib. 3. Conject. 4. Philipp. Massinius ad l. post aditam. 5. C. de impub. & aliis substitut: à n. 106. Fachin. lib. 4. Controv. 73. Intrigliol. de substitut: Cent. 1. q. 47. aliique.

Quæstio 8.

Ad L. cum societas. 69. ff. pro socio.

Subtilis videtur esse deliberatio, & est acris concertatio, quæ sit vera hujus Legis sententia: Varii enim deprehenduntur, quoad casum, intellectus, variæ etiam, quoad verba quædam, reperiuntur lectiones. Quia igitur in ea tam diu summi Juri laborarunt, & adhuc multi desudant. Ideò & nos veritatem eruere annitemur.

Celebris est locus Cujacii ad difficillimam hanc legem in lib. 4. obs. 17. ubi ait: A quo tempore juri civili operam dare cœpi, nulla me lex diutiùs torfit, quàm d. l. cum societas. 69. Nec planè etiam nunc ausim dicere, eam à me legem intelligi. Confidentiùs loquitur Anton. Faber lib. 5. Conjec. 4. dum sic scribit: Ego verò, etsi tantum mihi non tribuo, ut facilia esse putem, quæ ille, Cujacium intelligens, difficilia arbitratur, illud tamen, ausim dicere, posse quid excogitari, quod & probabilius sit, & ad mentem Ulpiani accommodatius.

Annotavit verò Timæus Faber lib. 1. annot. cap. 17. utrumque, tam Cujacium quàm Anton. Fabrum hanc legem ita interpretatos fuisse, ut rationem juris intuenti, de vera explicatione adhuc dubitandum esse videatur. Tractant præter citatos hanc legem, & Marq. Freherus *ωαπέργ.* lib. 2. cap. 29. Arumæ. *disp.* ff. 12. §. 15. Radulph. Forner. lib. 3. *rerum quotid.* c. 28. Caspar Schifordegherus lib. 3. *tract.* 28. *de societa. ad emendum inita.* q. 13. 14. & 15. Et hic prolixè quidem, sed præ aliis, uti putamus, nervosè. Quare nunc ex eodem nonnulla utilia decerpere, nostra quandoque adjicere, ac singula legis verba percurrere, nec non dissentientium interpretationes adjungere, non erit fortè ingratum, nec inutile. Ait igitur textus: *Cum societas*, particularis, *ad emendum coiretur*, à tribus, ponamus, mercatoribus, Alberto, Beato, & Candido, *Et conveniret, ut unus, Albertus, reliquis Beato & Candido*

Candido Nundinas, id est, epulas præstaret, hoc est, ut solus impensas nundinarum ferret: solebant enim apud veteres circa res emendas epulæ ab ementibus fieri, & propterea impensæ quædam erogari, quæ instar accessionis cujusdam partes emptionis censebantur, arg. l. quod si nolit. 31. §. quod emptioni. 25. fin. & l. proinde. 33. ff. de edil. edicto. Cujacius d. observ. 17. ait, se non videre, quomodo nundinæ pro epulis accipi possint. Ideò legit: *nundinarias epulas*. Marquar. Freherus d. cap. 29. per nundinas sive epulas intelligit alimenta, quæ nundinarum tempore præstantur, Unus, enim, inquit, in se recepit, cæteros socios, comparandis mercibus occupatos, pascere & alere. Forner. d. cap. 28. pro verbo: Epulas, reponit: Empolas, & addit: Est autem ἐμπολή non tantum negotiatio, sed & lucrum, quod ex ea percipitur. *Eosq; à negotio dimitteret*, hoc est, ne reliqui duo, Beatus & Candidus, ob hoc negotium, impensas accipe epularum, à venditoribus molestarentur. Dimittere enim est liberare & absolvere, l. creditor. 158. de R. I. l. ait prætor. 10. §. 1. ff. quæ in fraud. creditor. l. quævis. 28. ff. de pactis dotalibus. Cujac. d. observ. 17. propterea, quia non intelligit, ut ipse ait, quid sit, à negotio dimittere, cum Haloandro ex Noricis Codicibus legit: ad negotium dimitteret, hoc est, ad nundinas ablegaret, ut & explicat Arumæus disput. ff. 12. §. 15. Et Timæus Faber d. cap. 17. hanc lectionem concinnioem & rectiorem vocat. Porrò Forner. d. c. 28. hæc verba sic explicat, ut unum tantum pro cæteris ad nundinas profectum, & sibi uni mercatum, cæteros autem à negotiatione dimissos esse existimet. Cujacius verò, Timæus Faber, & Arum. plures socios ad negotium dimissos vel admissos seu ablegatos censent. Non autem improbabiler dici potest, omnes, & ita non tantum Beatum & Candidum, sed & ipsum Albertum, rem, tanquam communem emisse, aut saltem communi societatis nomine Beat. & Cand. comparasse, arg. l. actione. 65. §. item si societatem. 4. & §. morte. 9. ff. pro socio. Sequitur in textu: *Si eas*, hoc est, epulas promissas. Unicum igitur fuit pactum quoad epulas præstandas. Freherus d. c. 29. duplex pactum proponit, prius quoad epulas, posterius de pretio exsolvendo, reliquos enim socios putat à negotio pretii exsolvendi dimissos esse, eò quod fidem tantum Alberti, venditores sint secuti. Sed (1.) verbum: *Eas*, hoc duplex pactum non admittit. Neq; (2.) Jctus pretii alicujus mentionem facit.

C

cit.



cit. Et (3.) Ulpianus apertè dicit: Si eas non solverit, hoc est, propter non solutas epulas, & pro socio, & ex vendito, id est, tam pro socio, quàm ex vendito cum socio agendum est. *Eis*: Nempe duobus sociis & simul venditori, *Non solverit*, hoc est, epulas præstiterit. *Et pro socio*. Quæ datur sociis Beato & Candido contra socium Albertum propter epulas non solutas: Cùm enim ad eos omnes tanquam emptores, onus epularum pertineret, & convenisset, ut Albertus solus nundinarias hæc epulas præstaret, ille verò eas non solveret, Ideò hæc actio pro socio contra eum locum habet: Toties namque competit, quoties alteri non præstatur quod convenit, *l. cum duobus. 52. §. item Mela. 13. in fi. ff. pro socio*. *Et ex vendito*: Quæ datur venditori contra Albertum propter easdem epulas non solutas, non quidem propter pactum, Albertus enim non cum venditore, sed cum Beato & Candido sociis, tantùm pactum de præstatis epulis iniit, sed propter rem emptam, cùm Albertus etiam eam rem tanquam communi nomine comparatam emisse videatur. Et fortè etiam quia venditor, venditionis causâ, sumptus & epulas ipse erogavit, vel eas in se recepit, quas Albertus præstare debuit. Accursius, quem sequitur Fornerius *d. c. 28. actionem ex vendito exponit, ex empto argum. l. ex conventionem. ii. C. de pactis*. Freherus verò *d. cap. 29. actionem ex vendito, non epularum nomine, sed ex posteriori pacto concedit, quia Albertus ceteros à negotio pretii exsolvendi dimisit, Ipse verò tanquam mercator dives & famosus, Arum. d. disp. 12. §. 15. venditoribus, fidem ipsius præcipuè secutis, pretium pro re emptâ exsolviturum esse promisit. Cum eo puta Alberto*. Venditor quidem cum omnibus sociis proportionem cujusque agere potuit, ut epulæ præstentur, attamen defendendi sunt duo socii, Beatus & Candidus ab Alberto, qui ex pacto solus illas præstare debuit, ut proinde rectè solus Albertus à venditore conveniatur. Et ita datur exceptio utilis Beato & Candido, qui sibi pacto prospexerunt, *arg. l. avus. 33. ff. de pactis. l. si filia. 20. §. item Papinianus. 8. ff. famil. erciscun. Agendum est, id est, agi potest, arg. l. si post. 14. ff. de tutela & ration. distraben. l. si locatum. 42. ff. locati. l. & ita. 3. §. novissime. 5. fina. ff. Nauta. caupo. stabular.*

Quæstio



Quaestio 9.

Ad text. 2. feud: 107.

Elegans est controversia hæc feudalis: An Vasallus propriis sumptibus servire debeat? Communis est opinio affirmativa. Quidam verò considerant, an feudum sit opulentum, an tenue & exiguum. Nonnulli distinguunt, utrum Vasallus serviat intra patriam seu territorium suum, five extra patriam. Nos dicimus: Vasallum sumptibus domini, tam in territorio suo, quàm extra illud debere servitia præstare, nisi aliud investituræ pactis contineatur.

Ratio (1.) Quia controversia hæc claris verbis deciditur in rubrica & textu. 2. feud. 107. ubi hoc non tantum ipsis rerum experimentis cognitum, sed & antiquatum esse dicitur. Quod verbum Rittersh. *partit. feud. lib. 2. cap. 1. q. 34.* positum esse, ait, pro antiquitus receptum seu antiquo more introductum. Et ex his verbis Andr. Kohl *tract. de servit. feudal. par. 6. n. 3. in fin.* fateri cogitur, minimè dubitandum esse, multis Italiae locis hujusmodi consuetudinem tunc temporis fuisse receptam. (2.) Quia justum est, ut illi consequantur stipendium, qui suum commodant obsequium, *d. tex. 107.* (3.) quia nemo propriis cogitur impendiis militare. *d. tex. 107.* (4.) quia in *d. tex. 107.* additur vocula, Maximè, quæ indicat idem esse, si serviat in suo territorio. Ut propterea non sit distinguendum, an Vasallo militandum sit in territorio, vel extra illud. (5.) quia nullus est textus juris feudalis, extra *d. 2. f. 107.* alius, hoc decidens, ut Vasallus duplici onere gravetur, ut scilicet & serviat, & simul suis sumptibus serviat. De Jure Saxonico, *Sol der Mann dem Herrn sechs Wochen dienen/bey seiner selbst Kost/Lehn.* cap. 4. Consuetudo tamen est, *Daß der Lehnmann auff des Lehnherrn Futter vnd Mahl/oder ziemliche vnd gewöhnliche Besoldung diene/* teste Benedicto Reinhardo. Videantur differentia Juris Civ. & Saxon. juxta editionem Dn. Ordinarii D. Romani *par. 3. diff. 24. n. 7.* Et ita indistinctè vasallus non suis, sed domini expensis servitium præstat, ait *Schneider. de feud. p. 5. n. 111. in fi.* Adeoque nostra opinio ferè cum hodiernâ consuetudine convenit. Jungatur additio D. *Schultes ad Coleri p. 1. decis. 82. n. 4. & seqq.*

Dissent. Hunnius *de feud. cap. 13. pag. 365. & seq.* Bocer. *de Jure domin. & Vasall. lib. 1. cap. 4. à n. 112.* Rittershus. *de feud. l. 2. c. 1. q. 33. 34.* Borrinius *tract. feud. de cavalcata & vasallor. servit. cap. 10.* Rohl *de servit. feudal. par. 6. per tot. Unde de feud. p. 5. n. 62.*

Questio 10.

Ad text. 2. feud: 55.

Implicata quoque in Jure feudali est Controversia: An Vasallus, feudi nomine, irrequisito domino, compromittere, hoc est, arbitrum, qui suo laudo seu sententia controversiæ feudali finem imponat, adversarii consensu eligere possit? Affirma.

Ratio (1.) quia qui in judicio litigare potest, poterit etiam compromittere in arbitrum: arbitria enim ad instar judiciorum redacta sunt, *l. 1. ff. de recept. arbitr.* Sed vasallo datur licentia, absque consensu domini de feudo litigandi, active & passive, h. e. agendi & excipiendi, *2. f. 26. §. si vasallus de beneficio, ibi: licet ignorante domino. 2. f. 43. ibi: etiam domino absente.* (2.) quia compromissum seu arbitramentum, ut Dd. loquuntur, est species quædam transactionis. Cardin. Tuschus *tom. 1. lit. C. rubr. compromiss: quid sit, & ejus natura. conclus. 497. n. 1. & seqq.* Sed transactio facta per vasallum, sine consensu domini feudi valet, modo sincerè & bona fide fiat, *d. 2. f. 26. §. si vasallus, ibi: nam & transigere rectè poterit, d. 2. f. 43. ibi: vel cum adversario transegerit, dummodò fraudulentè actum non sit.* E. eodem modo valebit & compromissum in arbitrum factum. Solent Dd. in hac controversia etiam textus quosdam adducere, quasi sint manifestissimi, & expressè compromissum hoc in arbitrum probent, *puta tex: 2. f. 34. versic. Si autem inter pares duos, 2. f. 15. in princ. 2. f. 46.* Verùm nos in eo ab iis dissentimus: Et à nostra opinione dissentiunt Rittersh. *de feud. lib. 2. cap. 2. q. 19.* Borchold. *de feud. c. 8. n. 45.*

Rosenthal. *de feud. c. 9. mem. 1. concl. 22. n. 8. & 9.*

aliique ab his allegati.

F I N I S.



153989

ULB Halle 3
003 260 577



R

VD 17



quis
pbila
phis phi
laterie di
cuntur car
te in quibus
continentur
tur in can
ta cones.
Si
diui
na cones.
in comos
fias. fm
legem isti
ceremaf.
sed ille in
cibus co
mo be ef
unt post
publica
conem bo
noze in ex
ilium mit
atur. ut. C.
re malefi.
nullus. ac
On
lice
at. ppter
segetes.
nunquid
ergo hic
rephendi
tur astro
comianu

ritus ignarus. Ideo tñ bñdus ē diuinus.
Quid aut mirū si quēadmodū ille corpis
humani vel perturbata uel mortificata tem
perie seu bonas seu malas futuras pūdet
ualitudines. sic demōes in aeris affectōe
sibi notas nobis ignotas pūdet futuraf
tēpestates. Aliquā boīm etiā dispositōes
nō solū voce platas veruz etiā cogitacōe
ceptas. cū signa qdam ex aīo expmū
tur in corpore tota facilitate pdiscut. atqz
bñc etiā nalta futura nūciant. alijs vi
delic; mīa q̄ ista discreti. a nō nouerunt.
fallunt etiā itudie fallēdi. munda volū
tate q̄ boīm ei roze terantur. q̄ ne apud
cultores suos pōdus auctoritatis amit
tant. id agūt vt inter pūbz suis signoz
qz suoz. directoribz culpa tribuat qn̄ ipi
mali decepti fuerint vel mēti. Nōnūqz
vero ipi maligni spūs et illuzores boīm
atqz inuafores salutis eoz solēt p̄dice
re defectū culture sue et ydoloz. ruīnam
quatinus p̄sen videāt qd̄ in singlis re
gms ā locis vēturuz et qd̄ aduersi sue fas
ctōm otingere possit. qd̄ etiā illi q̄ gētiliū
historias legūt nō ignorāt. Quid ergo
mirū si iam imminēte tēploz. q̄ simulacro
ruy. euerfioe quā p̄p̄bz dei sumi tāto an

illa p̄ture facit. Vnde
et nouissima annūciante in
estis. Cultores vero ydolo
mūone sepandi sūt. Sōn a
ad cor̄tibios. si q̄s frat̄ fo
rus aut ydolis fūies cū ei
bū sumere. **H**inc ec̄m d
rñ umoris iegit.
Los **A**uspices vel mēta.
Quis ariolos arusp
res obfuaugrit ā p̄bi
vhus fuerit anathema fit. C
ritano ocilio. ca. xxxij. **O**
Vi diuina cōes exp
um subsecūtur. uel in domo
di boies introducunt ex q̄r
magica ā expiādi cā sub re
iaceat scdm gradus p̄mit
Ite ex oculi. marām ip̄e.
On liceat re nō lice
xp̄iams tenē tradicōe
tuare uel colere elemēta. ā
curfus. ā manē signoz. fall
faciēda. uel ppter segetes. x
tādas uq̄ diuigā. f.

Processus
H. J. & R. K. 1707

enim. Omnia q̄ faciunt m̄
tū tē de p̄mo p̄dicat ut fia
p̄. ā. tēp̄is d̄m̄. d̄m̄ cūoz. fū
tū tē de p̄mo p̄dicat ut fia



13 219.

SOLO FAVENTE DEO.

DECAS

Quæstionum Juridicarum Controversarum,

Quam
Autoritate atq; permissu amplissimæ Facultatis
Juridicæ Lipsiensis,

SUB PRÆSIDIO
SIGISMUNDI Finckelthaus/
J. U. D. & Professoris
publici,

Respondendo defendet
MICHAEL Gorge /
Lipsiensis.

Ad diem 18. Martij, horis locorq; solitis.

Lipsiæ,
Excudebat Fridericus Lanckisch,
ANNO

M. DC. XXIX.